

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Scriptum [...] elaboratum occasione instantiae  
imminuendi fesat de praecepto - Cod. Ettenheim-Münster  
98**

**Benedictus <de Nursia>**


**[S.l.], 1742-1744**

[urn:nbn:de:bsz:31-110785](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110785)



6. Mo. 98





Scriptum  
Ex Mandato Benedicti XIV.  
Pontificis Summi  
Transmissum  
Et  
ab eodem elaboratum  
Occasione instantis imminu-  
endi festae de Praecepto.  
Ex Italico in Latinum translatum  
à P. Galo Cartier Benedictino  
Ettoniano.  
anno 1744.





2

Scriptum  
Ex Mandato Sanctitatis Suae  
transmissum.

Compositum occasione instantiae  
imminuendi festa de praepo.

1. Ab initio Pontificatus nostri ceperunt instantiae pro imminutione festorum de praepo: qua de re jam prius quondam notitiam habebamus; enimvero eo, quo Bononia eramus, tempore quidam Longobardia Episcopi ad nos confugerant, ut hujus petitionis promotorem Nos apud Sanctam Sedem constituerent.
2. Quantum ad Speciale istud rei Caput, fortes et iterata sunt Utriusque Sicilia Regis instantiae, qui hac de re cum magna emphasi ad Nos rescripsit; Regis hujus instantiis cum aequali energia adherent, praeter alios utriusque Regni istius Antistites, Cardinalis Archiepiscopus Neapolitanus, et Dominus Archiepiscopus Tarentinus.
3. Transmissio quoque ad Nos fusa Scripto unanimiter concordat Dominus Episcopus et Princeps Bambergensis non minus pro ha, quam ceteris Germaniae Dioecesiibus.
4. Omnia, quae hac de re fuerunt exposita, ad sequentia Capita reduci possunt: nempe ad neglectum eorum, quae fieri deberent, et tamen nequaquam sunt festivi de praepo diebus; ad crapulas et ludos diebus istis frequentiores quam feriabilibus seu operariis; et ad ingens damnum quod egenis advenit, qui cum operari non possint diebus festivi et tamen opere manuum suarum vivere cogantur, non inveniunt, unde proprias familias alere queant; quae incommoda proin ex magno numero festorum de praepo oriuntur.
5. Tomo 2do Conciliorum Angliae et Hiberniae editi Londini: 1737. pag. 580. legitur sermo Simonis Archiepiscopi Cantuariensis in quodam Concilio Machfeldensi, in quo ante institutionem festorum in illo Regno, tunc temporis Catholicae, de praepo servandorum omnia pene recensita incommoda memorantur: "quod in Electorum Dei receptum erat honorem conversum est in blasphemiam et abominatorem: et post pauca: "quod vero ad devotionis parabatur compendium in dissolutionis erigitur cumulum; dum

„ in ipsis festiuitatibus taberna colitur potius quam Ecclē-  
„ sia; Comestiones et ebrietates uberius abundant  
„ quam Lacryme et orationes; lasciuia infistitur et con-  
„ tumelias magis, quam otio contemplationis.

6. Mercenariorum quoque fait mentionem dictus An-  
tistes, sed paulo aliter quam supra expressum fuerit: pro-  
ut etiam eandem de Mercenariis questionem aliter ex-  
hibent ii, qui habent praxim Regionum, quas Catholici  
simul et Hæretici inuolunt, asserentes, quod priores sint  
pauperiores, et sic minus idonei ad sustentandas familias  
suas, posteriores vero ditiores, et magis apti ad prædictum  
onus sustentandum, quia his plures ad laborandum et sibi  
de victu providendum dies suppentur, quam illis.

7. At itaque memoratus Antistes, propter ingen-  
tem festorum numerum operas esse cariores, quia Arti-  
fices, quamvis propter festa per integram hebdomadam  
non laborent, eandem tamen, non leuis ac si per to-  
tam septimanam laborassent, mercedem recipere volunt,  
quod in grave Reipublice damnum cedit: „ Mercenarii, si-  
„ ne quorum operibus Respublica regi non potest, sub colo-  
„ re licito sic ab operibus mechanicis diebus etiam, quos festi-  
„ vos constitunt, ac Sanctorum vigiliis abstinent, licet  
„ non minus per hebdomadam capientes propterea de Sala-  
„ rio, per quod utilitas Reipublice graviter retardatur, quin  
„ potius impeditur.

8. Concludit denique, sicut concludunt ceteri, qui præ-  
sentem instantiam promouent, necesse esse, ut numerus  
festorum de præcepto refecetur. „ Que quanto magis pro-  
„ tenduntur in numero, tanto abundantius cultores abusio-  
„ num huiusmodi in suis excessibus insolescunt.

9. Quibus comorvant tres insignes viri, qui Concilio Constā-  
tienti interfuerunt, scilicet Joannes Gerson, Cardinalis  
Petrus de Alliaco, et Nicolaus Lemangius: quorum aperta  
ex ipsorum operibus eruta plenissime transcribit Joan-  
nes Baptista Thiersus Treatatu de festorum dierum im-  
miratione e. 29. pag. 162. et sequentibus.

10. Si fas esset respondere, quod quilibet Domus sue provi-  
dere, ne non quivis Episcopus in sua Diocesi festa de præ-  
cepto servanda constituere possit, statim tolleretur inuom-

modum. Negari haud potest, quod olim Episcoporum<sup>3</sup> fuerit, numerum festorum in his Diocesis de precepto servandorum constituisse: praetermissis aliis permultis sufficit ea legisse, quae Thiersus citato Tractatu cap. 42. refert, atque continentur citato Tomo 2. Conciliorum Angliae et Hyberniae pag. 711. et ibidem Tomo 3. pag. 252.

Testatur Cardinalis Opatus Epistola 181. quod ad instantiam ab ipso Regis Christianissimi nomine apud Pontificem Clementem VIII. pro immutatione festorum de precepto in Regno Franciae factam responsum fuerit, id pertinere ad Episcopos, abstrahendo, an id agere possent vel in Synodo vel extra Synodum; vel cum consilio et approbatione Capituli, vel absque his requisitis; prout videre est apud Thiersum c. 42. pag. 245. apud Guyetum lib. 2. De festis propriis c. 18. q. 6.

ii. Sed cum ineptum cum Clemente VIII. Cardinalis Opati negotium haud continuatum fuerit, ac proinde imperfectum remanserit, prout testatur Somassius Tractatu de festis lib. 1. c. 11. n. 15. atque etiam Nos ipsi observavimus in opere nostro de Canonizatione lib. 4. part. 2. c. 15. num. 6. et

postmodum ad instantiam plurimum Episcoporum à S. M. Urbano VIII. demum assumptum fuerit, necnon promulgata Constitutio, quae in Bullario Tom. 5. est 291<sup>ma</sup>, in qua enumerantur festa de precepto servanda; facile persuaderi potest, ab eadem nullum Episcopum recedere posse sine interventu novae Auctoritatis Apostolicae, nec ullatenus conveniens esse, ut S. Sedes post dictam Constitutionem Episcoporum arbitrio relinquat materiam, cui ipsa se ingessit, et quam constituit.

12. Unde cum Dominus de Perefine Archiepiscopus Parisiensis anno 1666. Edictum promulgasset unicum Catalogo festorum de precepto in sua Diocesi servandorum, in quo Edicto quaedam in Bulla Urbani VIII. stabilita rescabantur, necnon haec de re Pontifex Alexander VII. apud Regem Christianissimum per suum tum temporis in illo Regno Nuntium Dominum Robertum graviter conquestus fuisset, eandemque querelas prosecutus fuisset Papa Clemens IX. per suum Nuntium Dominum Bargellinum, tandem anno 1668. à praedicto Archiepiscopo Parisiensi promulgatum fuit novum

Calendarium in omnibus et per omnia Bulla Urbani VIII.  
consonum, quemadmodum plenissime refert Berninus  
Tom. 4. hist. heres. c. 6. pag. 649. et seq.

13. Ex quo bene quidem inferri potest, post Bullam  
Urbani VIII. non posse Episcopos propria sua auctoritate  
constituere numerum festorum in suis Dioecesibus de  
praecepto servandorum; nullatenus tamen deduci po-  
test, vel quod Papa post dictam Bullam Urbani non  
possit ampliare numerum festorum in particulari  
quodam Regni alicujus Dioecesi, imò etiam in Univer-  
sali Ecclesia, de praecepto servandorum juxta exempla  
à nobis relata citato Tom. 4. De Canonizatione part. 2.  
c. 15. n. 10. et 11. vel quod, debitis convenientibus circum-  
stantiis illorum numerum minuire, seu per novam  
Constitutionem, seu tribuendo Episcopis normam et  
auctoritatem id in suis Dioecesibus prestandi non  
possit; cum huius agatur de materia Disciplina, quae  
naturam suam est variabilis, necnon toties jam variata  
fuit, prout ex sequentibus patebit.

14. Posito, quod conveniens sit, ut numerus festo-  
rum de praecepto minuat, prout colligi potest ex  
urgentibus instantiis, quae propterea fiunt, et ex gra-  
vibus rationibus ac momentis, quibus haec instantia  
fulciuntur; necnon stabilito principio, id scilicet  
fieri non posse sine interventu auctoritatis Summi  
Pontificis, oportet, ut ad modos transeamus, quibus  
eadem auctoritas, ubi necesse est, intervenire possit.

15. Primo examinandum venit, num in Catalogo festo-  
rum de praecepto quadam in eodem ab Urbano VIII. per  
suam Constitutionem recensita tolli possint. Pro-  
fecto haec agendi ratione id ipsum fieret, quod idem  
Urbanus VIII. in sua Bulla praestitit. Certum quippe est,  
quod olim cuncti Septimanae Paschatis dies, tres Rogatio-  
num, et S. Martini fuerint festivi de praecepto, prout le-  
gitur Can. Pronuntiandum de Consecrat. Dist. 3. quod  
tota Septimana Sancta fuerit festiva de praecepto juxta  
ea, quae leguntur Cap. Conquestus de feriis. quod dies  
S. Franisci factus fuerit festivus de praecepto à Sixto IV.  
et confirmatus à Gregorio XV. ut et die 20. Aprilis 1640.  
ab eodem Urbano VIII. postquam haec res examinata

4

fuisse in Sacra Congregatione Rituum, prout videre est in ipsius Indicibus; et tamen notum est, quod nullus ex his festivis diebus recenseatur in Catalogo festorum de precepto in subsequenti Bulla Urbani VIII. relato. Quapropter Bater Lantusa in Theatro Regularium pag. 289. disserens de festivo S. Francisci die hæc scribit: «Scien- dum tamen est, quod per Constitutionem Urbani VIII. incipientem Universa decima tertia Septembris 1642. hoc festum non fuit amplius commemoratum inter festa de precepto sed tantum de devotione.

16. Commendari potest hoc sistema, si Urbani VIII. factò jungatur antecessoris ipsius scilicet Eugenii IV. agenda ratio, qui etiam ex Catalogo festorum de precepto sus- tulit festum S. Crucis, quod mense Maio occurrit, S. Mi- chaëlis in Septembri, SS. Innocentium, et S. Sylvestri, licet pro talibus stabilita fuerint in textibus Juris Cano- nici supra adductis, prout apprimè notat Alphonsus de Casarubios in Compendio privilegiorum verbo festi- vitas, ubi sic scribit: «Eugenius IV. dixit, quod saeculares laborantes in festis S. Crucis, et S. Michaëlis Septembris, et SS. Innocentium ac S. Sylvestri, non vult, quod peccent mortaliter, nisi venerint in Dominica. Quod etiam- num confirmat Navarrus in Enchiridio c. 13. n. 18. et Sanchez confil. Moral. lib. 2. c. 2. n. 5.

17. Ut verum fateamur, nihilominus sistema istud par- titur suas difficultates; cum impossibile sit, ut omni- um devotio sit uniformis, atque ut sublata ex Catalo- go festorum de precepto quadam hujusmodi festa de- votos suos et protectores non inveniant, qui postmodum contra novam determinationem, et aliquorum de precep- to festorum, quæ modo servantur, imminutionem- motus excitant et murmurationes.

18. Quod si dicatur, idem profus evenisse post Constitu- tionem Urbani VIII. sed postea devotos acquiescisse. Res- ponderi potest, prætextam quietem post Urbani Bullam obtentam non fuisse, prout infra patebit; addi etiam potest, festa de precepto ab Urbano VIII. sublata jam

tunc in defuetudinem abiisse. Joannes à S. Paulo Archi-  
episcopus Dublinensis in suis Constitutionibus in quodam  
Conilio Provinciali anno 1351. celebrato factis et Tom: 3. Conil.  
Anglie pag. 20. relatis, non dicit, quòd sua etate per uni-  
versum orbem tota septimana Sancta festiva fuerit de  
præcepto, sed sola feria sexta Parasceves. "Et licet ipsa  
" dies sit Sanctificata, quæ per universum mundum ab  
" obsequiis secularibus reservetur et Debeat reservari, qui-  
" dam tamen de præmissis in istis partibus immemores  
" opera ruralia et secularia eodem die non metunt  
" exercere. Nos igitur p.

19. Fusius adhuc S. Antoninus in Summa Theologica  
parte 2. tit. 9. c. 7. hanc defuetudinem testatur: "Quæ-  
" dam alia festa, quæ erant in præcepto, sunt abrogata  
" per contrariam consuetudinem, ut communiter dici-  
" tur, quoad cessationem ab operibus; et isti sunt tres  
" dies Rogationum, item septem dies Passionis, et septem  
" Resurrectionis, id est, hebdomada Pascha, erant anti-  
" quitus in præcepto ut patet de consecrat. Dist. 3. Can.  
" Pronuntiandum. sed hodie non servantur.

20. Idem dicit Bater Sylvester Picrate, qui multò ante  
Urbanum VIII. tempore vixit, de festo S. Francis in sua  
Summa verbo Dominica. En ipsius verba: "festum  
" autem Beati Francis, quod fortè Sixtus V. idud sub  
" præcepto posuerit, tamen modò nullus tenetur, quia  
" illa Constitutio non fuit moribus utentium approbata.  
Idipsum ait Bater Guyetus de alia Constitutione Geo-  
gorii XV. lib. 2. de festis propriis c. 18. q. 5.

21. Prætermisso igitur primo modo sequitur secundus,  
scilicet, ut diebus Dominicis celebrentur festa Sanctorum,  
sublatis illis, quæ intra hebdomadam cadunt. Sistema  
istud designatum fuit à Caramuele in Epistola ad quem-  
dam Prælatum Romanum. enarrata: "Desiderarem  
" omnes et solos dies Dominicos festos esse et vix alios.  
" sed quid de Sanctorum cultu agendum? edisseram p.  
" conservarem quadragesimales Dominicas, et per reli-  
" quas distribuere Apostolos, Evangelistas, et omnes alios

Sanctos, quorum dies observamus. Hoc sistema hodieum  
adhuc aliquibus aridet.

22. Secundus tamen hic modus vix ac ne vix quidem  
placebit, non dico omnibus, quod est impossibile, sed  
etiamnum plerisque. Antiquus est Ecclesie mos, ut festa  
Sanctorum ipso mortis eorum die celebrentur, quo die sicut  
colocati sunt. In Hymno Confessorum canit Ecclesia:

"Hae die letus meruit beatas  
"Scandere Sedes.

Et si contingat officium transferri in alium diem, tunc,  
sicut ungue notum est, Substituunt sequentia verba:

"Hae dies letus meruit huiusmodi  
"Laudis honores.

Ut cetera taceamus, S. Dominicus obiit ipso die Transfigu-  
rationis Domini, et Pontifex Paulus IV. in sua Bulla Glo-  
riosus propter festum Transfigurationis Domini et B. Mariae  
ad Nives coactus fuit retro trahere festum S. Dominici duo-  
bus ante ipsius obitum diebus: huius facti sui apologiam edidit  
allegando impotentiam aliter agendi: ait proinde, se non igno-  
rare, quod Sanctos per anni circuitum die ut plurimum, qua  
eos ad caelestia Regna migrare contingit, Sancta veneretur

"Ecclesia. Praeterea collocatis in Dominica dies Domini  
perpetuo mutatur in diem Servorum ipsius. Micrologus  
lib. De observ. Eccl. c. 62. De Dominicali Officio non facile pra-  
termittendo ait: quod iuxta antiquissimum Romanum  
usum nequidem admisum fuerit, ut cuiusvis Apostoli fes-  
tum in Dominicam caderet. "Iuxta Romanam consuetudi-  
nem in omni Dominica Ecclesiasticus Conventus fit, cum  
"officio Dominicae satisfacimus, nisi aliqua multum celebris  
"festivitas in ipso die occurrat, ut festum S. Joannis Bap-  
"tista, vel S. Petri Apostoli.

23. Carius adhuc loquitur Rodolphus de Canonum obser-  
vantia propos. 15. En ipsius verba: "festum Matthaei Evan-  
"gelista in Dominica non tenetur Romano usu; et in ad-  
"ventu à Septuagesima usque in octavam Pascha in-  
"clusivè nullum festum agitur in Dominica, quia Domi-

« nice interim occurrentes propriis historiis deorantur; abusus  
« ergo est nimius, ut festum S. Andreae in Dominica tenea-  
« tur; cum Romana consuetudo, Metropolitanum Statutum,  
« et omnes de Officio Scribentes obviat huius modo.

24. Patres quoque Concilii Moguntini adeo alienos se pra-  
buerunt à permanenti institutione festi Sancti alicuius  
in Dominica, ut ne quidem id invidenter permittere volue-  
rint, nisi foret Solemnitas quadam ex Majoribus. « Sancto-  
« rum Solemnitates in diem Dominicam invidentes censemus  
« submovendas, et in feriam aliquam præcedentem vel se-  
« quentem transferendas, quò Sanctorum omnium Dominus  
« sua conservetur Solemnitas; exceptis Beatae Mariae, Apo-  
« stolorum, et aliis Summis Solemnitatibus. Invehitur

Thiersus cit. Opere c. 44. adversus propositum à Paramuele  
medium, atque, quòd, si olim abusu adscriptum fuit,  
celebrare in Dominica festum S. Andreae, multò major  
abusus dici debeat, si permanenter in Dominicas transfe-  
rantur festa aliorum Sanctorum: « Ergo si Rodulphi Sacer-  
« tiam abusus est nimius, ut in Dominica teneatur Sancti  
« Andreae festum, quòd et novem beatorum, et unius ex Apo-  
« stolis, et antiquissimum festum est; quantus erit abusus,  
« si ad Paramuelis opinionem, Sanctorum Augustini, Bene-  
« dicti, Bernardi, Norberti, Francisci de Assisio, Francisii  
« de Paula, Theresia, Ignatii, et cuiusvis Ordinis Religiosi  
« Fundatoris festa, quae et nova festa sunt, et Apostolorum  
« festis longè inferiora, ad Dominicas dies revocentur? Et  
post pauca, absurdum dicit, quòd à Domino locus cedatur  
Suis Suis, et festum Sancti alicuius in die obitus sui non  
celebretur. « Deus enim Sanctorum omnium Dominus, cui  
« peculiari cultu Dominica diei celebratio consecratur, Suis  
« Suis suum concedat locum oportebit; et falsò ut plurimum  
« in Ecclesiasticis precibus Natalium, Natalitiorum, aliaque  
« id genus voces afferentur, quae alteri, quàm Sanctorum mortis,  
« seu depositionis diei, adscribi non possunt.

25. Secundo succedit tertius modus; ad cuius intelligentiam  
necesse est præmittere, quòd, postquam Tarracone an. 1727.  
celebratum fuisset Concilium Provinciale quoddam, huius  
Concilii Patres 12. Decembris ejusdem anni Epistolam direxe-

rint ad Sac: Mem: Benedictum XIII., in qua, post deploratam  
 animarum jacturam ob festorum violationem asserabant,  
 oportere, ut huic malo remedium offerretur, atque proinde ut  
 sua Sanctitas vel idorum numerum mimeret, vel permitteret, ut  
 in aliquibus pauperes post auditam Missam opus manuum exerce-  
 re possent: In eadem quoque Epistola ea festa exproperunt,  
 quae servanda essent tam quantum ad praecipuum audiendi Missam,  
 quam quoad alterum, abstinendi scilicet ab operibus servilibus,  
 et cetera, quae servanda essent, quantum ad praecipuum audien-  
 di Missam duntaxat, et non quantum ad abstinendum ab ope-  
 ribus servilibus: In horum Patrum Epistolam:

Sanctissime Pater

" Synodus Provincialis Tarraconensis post oscula Pedum.  
 " Beatitudinis Vestrae humiliter ac reverenter exponit, quod  
 " in Sessione habita sub die decima octava Novembris proxime  
 " praeteriti agendo de reformatione, et super salutem anima-  
 " rum invigilando, sedulo disquisitionum fuit, quodnam remedium  
 " videretur proficuum et opportunum ad sanandum abusum.  
 " in dicta Provincia communem nimis, quo praecipuum Ecclie-  
 " siae de omittendo diebus festis servili labore passim atteritur,  
 " quem abusum uti lacrymabilem ruinam animarum Confessa-  
 " rii benedictiva Sacramentum ministrantes in dies magis inuales-  
 " cere cum dolore cordis intinseco deplorant. Et habito super hoc  
 " maturo tractatu, unanimiter visum fuit, praefatum abu-  
 " sum originem inde traxisse, quod nimirum fideles tam me-  
 " chanicis operibus insudantes, quam agrorum cultura, falsa  
 " quadam specie necessitatis a praecipuo se eximi facile putant,  
 " hinc rationibus. Primum etenim Provinciam Tarraconen-  
 " sem motibus passim oppressam quasi quotidianam culturam ege-  
 " re inquirunt, ut terra semen suum germinet. Deinde tribu-  
 " ta, seu vectigalia imposita super frumento, vino, et oleo,  
 " et super omnia opera manuum suarum indispensabiliter esse  
 " pensitanda communi consensu alegant. Denique addunt,  
 " quod festa de praecipuo in hac Provincia colenda sunt quamplu-  
 " rima; quia demptis, quae ex voto, Titulari, seu Patrono in  
 " singulis respectivè locis coluntur, nonaginta, et una de praecipuo  
 " numerantur, scilicet, qui ex vultus sudore, et labore manuum

20.  
" victum emunt, miserimè pereunt, nisi diebus festis laboribus  
" alioquin vetitis inuumbant. Hæc causas, quæ veritatis spe-  
" ciem nonnunquam profere videntur, ut necessitate com-  
" pulsî diebus festis sine peccato laborent rustuani, crebrius,  
" quam oportet, congerit humana cupiditas, et vivis ad eos co-  
" loribus depingit, ut verè sepe transgressores punire, et evi-  
" tare scandala nequeamus. Cupientes ergo tanto damno  
" occurrere, ne cultus festorum de medio tollatur, visum  
" fuit Concilio Provinciali debita cum reverentia et humili-  
" tate Vestram Beatitudinem suppliciter exorare, quatenus  
" indulgere dignetur, vel ut dierum festorum numerus mi-  
" nuatur, vel saltem in aliquibus fideles, audita Missâ, labo-  
" rare valeant, manentibus cum obligatione integra præ-  
" cepti omnibus diebus Dominicis per annum, diebus Nata-  
" lis Domini, et sequentis Sancti Stephani, Circumcisionis,  
" Epiphania, Resurrectionis, et sequentis diei, Ascensionis  
" Domini, Pentecostes, et sequentis, et festo Corporis Christi,  
" Sancti Joannis Baptista, Sanctorum Apostolorum Petri  
" et Pauli, Sancti Jacobi Apostoli, et omnium Sanctorum, ac  
" etiam quinque festivitatis Beatissima Virginis Mariae,  
" scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis,  
" Nativitatis, et purissima Conceptionis, dummodò reliquis die-  
" bus de præcepto, audita Missâ, tanta conscientia, fideles in  
" hac Provincia Tarraconensi demorantes laborare publi-  
" cè valeant. Hoc gratuitum donum ut potè unicum ac  
" salubre remedium animarum Concilium Provinciale  
" flexis genibus à Beatitudine Vestra humiliter expo-  
" lat, ut quæ Apostolicam Benedictionem sibi impetiri  
" dignetur Sanctitas Vestra, pro cuius inviolabilitate, ad bo-  
" num totius Ecclesie, Deum Optimum Maximum depreca-  
" ri diu nocturne non superseabit. Datum Tarracone  
" die duodecima Decembris anni millesimi septingente-  
" simi vigesimi septimi.

Sanctissime Pater  
Vestra Beatitudinis

Humilis et obsequentissimus filius  
Synodus Provincialis Tarraconensis.

26. Respondit Pontifex Benedictus cum Breui Epistolari,  
ac in omnibus et per omnia horum Patrum instantiam pro-  
bavit. In Breve ipsum:

" Venerabilibus Fratribus nostris Metropolitanis Tarraco-  
" nensi, et Episcopis in Concilio Provinciali congre-  
" gatis

" Benedictus Papa XIII.

" Venerabiles Fratres nostri, Salutem, et Apo-  
" stolicam Benedictionem.

" Superabundavimus gaudio, cum Synodales litteras à fra-  
" ternitatibus Vestris accepimus, et Pastoralem charitatem  
" percepimus, qua custodire vigilias super gregem vestrum, Deiq[ue]  
" honorem tueri, et augere satagitis. Nihil enim gratius Nobis et  
" iucundius esse poterat, quam ut insignes Ecclesiarum istarum  
" Patres, de Divino Cultu, et animarum Salute sollicitos, propo-  
" sita opportuna observanda disciplina, et levanda necessitatis  
" ratione ad hanc Ecclesiarum Magistram recurrentes exipere  
" mus. Quod igitur festos dies ad ingentem isthuc numerum  
" exevisse, et obtenta alenda vita necessitate vetitis laboribus  
" aditum jam late aperuisse significastis; nec salubrius remedium  
" esse censuistis, quam ut in aliquibus festis diebus Christi fideles,  
" audita Missa, laborare valeant; integrâ remanente præcepti  
" obligatione in cæteris festis, que in Synodali epistola nume-  
" rastis: sapientissimum consilium confirmamus, et collau-  
" damus: atque, ut fraternitates Vestre eo pacto consuetiarum  
" securitati, et Ecclesiasticæ observantia prospiciant, cupimus et  
" commendamus. Dum autem Tarraconensi Provincia gra-  
" tulamur Synodalem celebritatem veteris disciplinae decora  
" annulantem, fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedic-  
" tionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum  
" Petrum sub Anulo Piscatoris die vigesima secunda Maji  
" millesimo septingentesimo vigesimo octavo, Pontificatus nos-  
" tri Anno Quarto.

" Carolus Archiepiscopus Emisernus.

Cum hoc Pontificium Responsum non nisi Tarraconen-  
 si et ceteris Suffraganeis eidem Subjectis Dioecesibus prodesset,  
 postmodum alii Episcopi reuererunt pro illius extensione  
 ad suas Dioeceses, qua illis denegata non fuit: quibus pra-  
 termiſſis in huius Scripti fine exhibentur ~~ext~~ extensio-  
 nes in praesenti Pontificatu concessa. Igitur in Ar-  
 chiepiscopatu Tarraconensi, et Episcopatibus Suffraganeis,  
 aliisque, ad quos Breve Patribus Tarraconensibus con-  
 cessum Sancta Sedes extendit, praeter omnes anni Domi-  
 nicas tenentur fideles per septemdecim dies festivos au-  
 dire Missam, et abstinere ab operibus servilibus; et per  
 alios septemdecim dies festivos sufficit, si Missam audiant,  
 possuntque post Missam operi manuum incumbere:  
 sic ut septemdecim sint dies festivi, quos per anni cur-  
 sum lucrati sunt pauperes ad laborandum, videlicet se-  
 quentes: 24. februarii festum S. Matthiae Apostoli, 19.  
 Martii S. Josephi, 1. Maji SS: Philippi et Jacobi, 3. Maji  
 Inventionis S. Crucis, 26. Julii S. Annae, 10. Augusti S. Lau-  
 rentii, 24. Augusti S. Bartholomaei, 21. Septembris S. Mat-  
 thei, 29. Septembris S. Michaelis, 23. Octobris SS: Simonis et  
 Iudae, 30. Novembris S. Andreae Apostoli, 21. Decembris S. Tho-  
 mae Apostoli, 27. S. Joannis Evangelista, 28. SS: Innocen-  
 tium, 31. S. Silvestri; et inter Festa mobilia tertium  
 Paschatis, et tertium Pentecostes.

27. Opera pretium erit primo agendi rationem in isto  
 negotio imitam observasse, et postmodum illius Substan-  
 tiam examinare; quò dispici possit, num inde con-  
 ceat tutus quidam modus pro festorum immuntione;  
 vel etiam quid tollendum vel adjungendum sit, ut bo-  
 num aliquod inde proveniat.

28. Pontifex Urbanus VIII. immuntioni festorum ad-  
 jevit animum ad instantiam et preces multorum Ar-  
 chiepiscoporum et Episcoporum, prout patet ex proemio  
 hae Constitutionis: " plurimorum liquidem Fratrum  
 " nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum per va-  
 " rias Regiones constitutorum relatione ad nos perve-  
 " nit p. Et post pauca: " Quamobrem dicti Venerabi-  
 " les Fratres Archiepiscopi et Episcopi Nobis fecerunt

"Supplicari, ut in praedictis de Apostolica potestatis pleni-  
 "tudine congruam aliquam iniremus rationem. Adhae-  
 "sit Urbanus instantia utendo sua auctoritate: "Nos itaque  
 "volentes ex debito Pastoralis officii providere, et sanctifica-  
 "tionis festorum certum deinceps firmare praecceptum. Bulla  
 "haec, quae antequam promulgaretur, nec significata fuit,  
 "nec potuit significari omnibus totius Orbis Catholici Episco-  
 "pis, ubi semel promulgata fuit, graves in quibusdam Or-  
 "bis partibus passa est difficultates.

29. Caramuel author contemporaneus in sua Theologia fun-  
 "damentali 271. § 11. memorat, eam non fuisse secundum  
 "omnia acceptatam ex duabus rationibus: 1.º Quia in Bulla  
 "ex festis de praeccepto sublata fuit festum Immaculatae  
 "Conceptionis B. V. Mariae, quod postea restitutum fuit à  
 "Sancto Memoriae Clemente XI. = Alterum totid festà, quae  
 "populi devotio judicabat praecipua; nam Bruxellis multum  
 "ad laborare debui, ut Hispanorum conscientias turbatas, aut  
 "etiam irritatas sedarem. Habet haec gens erga Marianam  
 "Conceptionem devotionem innatam; nec pacificè audire  
 "volebant, expungi tantam festivitatem. 2.º Quod  
 "in Bulla non sufficienter imminutus fuerit numerus fes-  
 "torum, sed potius quaedam festa aliis substituta fuerint,  
 "quod pauperibus ex propriarum manuum industria viven-  
 "tibus nihil proderat: = Alterum addi nova festa; non enim  
 "videbantur pauperes juvari hoc diplomate: fuit enim nu-  
 "da festorum commutatio, quae esse ablatio deberet.

30. Quod proinde in Gallia ratione Constitutionis istius seu-  
 "tum fuerit, indicatur Tom. 8. Vita Manuscripta Pontificis  
 "Urbani VIII. apud Principem Barberinum. Narratur ibidem  
 "quod, transmissa à Domino Grimaldo Nuntio Apostolico iuxta  
 "mandatum, quod acceperat, ad Regni Episcopos Buda, respon-  
 "derint aliqui, quod absque difficultate eam servari curassent,  
 "ab aliis verò, nullo dato responso, significatum fuit praedicto  
 "Nuntio, se quidem velle auctoritatem Pontificiam in-  
 "contentionem adducere, verumtamen notum esse, quod

Supremi Senatus seu, ut vocant, Parliamenti petenderent, nulla sine illorum participatione institui posse nova festa, et, cum in illa Constitutione inter festa de precepto recenserentur, festa S. Silvestri, S. Josephi, et S. Crucis in Maio, nequaquam in Gallis festiva, quemadmodum etiam festa omnium et singulorum Apostolorum, quarum quaedam in Gallis non servabantur, hac ratione multiplicari inconvenientia illa, quibus remedium afferre Papa cogitabat.

31. Et quamvis responderetur, id factum fuisse ad instantiam Episcoporum variarum Christiani Orbis partium, nullumque festum de precepto fuisse institutum, quod vel vi Sacrorum Canonum, vel Apostolicarum Constitutionum Determinatione jam tale antea non fuerit, tamen non ulterius progredi, temporisque servare pro consulto habitum fuit, sub spe, quod exemplum acceptantium non acceptantes ad mutandum consilium esset adducturum.

32. Alia adhuc difficultates ratione dictae Constitutionis suscitatae fuerunt, vel ab authoribus, qui in eam commentati sunt, vel ab Episcopis, qui pro illius intelligentia reverterunt. Nota inter alias fuit questio, an, exempli gratia, in quibusdam Diocesis, in quibus, ante hanc, velut de precepto non servabantur festa Inventionis S. Crucis, S. Innocentium, S. Silvestri, S. Josephi, S. Annae, prout multi Authores, qui ante dictam Urbani Constitutionem scripserunt, testantur, scilicet, S. Antoninus in Summa Theologia part. 2. tit. 9. c. 4. Bartholomaeus Firmus in Summa Arvilla Verbo Festum Suarez Tom. 1. de Religione lib. 2. de Festis c. 6. Salmus in Opere cui titulus, Clavis Regia lib. 7. c. 3. n. 9. An, inquam, in dictis Regionibus omnia memorata festa post Constitutionem servari deberent tanquam festa de precepto: nec defuerunt, qui tuerentur, hanc obligationem ibidem locum non habere, ex ratione, quod

9

Papa in sua Constitutione dixerit, tanquam dies festi-  
vos servandos iuncturam illorum esse, quos vel ab initio vene-  
randa servavit antiquitas, vel universalis Eulefia proba-  
vit consuetudo, quae verba ab obligatione sub praepo-  
sitione videntur ea festa, quae in illis regionibus ex  
antiqua consuetudine servata non fuerant tanquam festa  
de praepo-  
sitione. Videri potest Guyetus De Festis propriis  
lib. 2. c. 18. quest. 3. Erant etiam alia quaedam festa  
de praepo-  
sitione, quae voti gratia in aliquibus Diocesis  
servabantur; de quibus Episcopi suscitati sunt, num vi Cons-  
titutionis istius sublata dici possent. Ad quod, postquam  
de eo in Congregatione Rituum serio admodum delibe-  
ratum fuisset, ipsomet Legislatore Urbano probante,  
responsum fuit, et conclusum, similia festa post Cons-  
titutionem ad festa devotionis esse redacta, atque obli-  
gationem ea tanquam festa de praepo-  
sitione servandi restric-  
tam esse ad illos solos, qui votum emisserant: Quod Decre-  
tum per extensum refertur in Opere nostro de Canoni-  
zatione lib. 4. part. 2. cap. 18. num. 14.

33. Benedictus Papa XIII. prout supra memoravimus,  
nullam edidit Constitutionem, solummodo ea probavit,  
quae in Concilio Trarasonensi stabilita fuerant. Haec ap-  
probatio postmodum extensa fuit ad alias Dioeceses; post-  
quam nempe Episcopi haec de re instituerunt, eorumque  
instantis secularis potestas adhaesit. Nullus motus seu  
contra Benedictinam approbationem seu eius extensio-  
nem usquam auditus est, jamque ab utraque multi efflu-  
xerunt anni. Et quia inde inferri potest, hanc metho-  
dum tutiorem esse et minus intricatam, quam sit alte-  
ra, videtur, quod, si haec in re quidpiam fieri vellet,  
ea esset amplectenda. Quamvis quoque nullum Con-  
cilium Provinciale procedere posset, quod supplicatio-  
nem promoveret, modumque reduendi festa expo-  
neret, Dioecibus tamen illis, in quibus serva foret  
observatio, posset, modo jam designato, concedi immunitio

Festorum cum animo hanc concessionem extendendi ad alias,  
quae pro illa obtinenda instarent.

34. Modò igitur examinanda veniunt ea, quae in libello  
Supplicii Patrum Tarraconensium continentur. Septem-  
decim ergo, prout jam dictum, sunt dies, qui intra annum  
remanent festivi de praescripto, in quibus nempe fideles  
tenentur plummò audire Missam cum libertate  
postea servilibus operibus insistendi. Hoc etiam mens  
fuit Cardinalis Petri de Alliaco, quam Concilio Constantiensi  
exposuit, atque legitur in libro suo De Reformatione  
Eclesiae, cap. De Reformatione Praelatorum, his verbis:

„Providendum est, quòd proutquam in diebus Domini-  
cis, et in Majoribus Festis ab Ecclesia institutis liceret ope-  
rari post auditum Officium; tum quia in festis semper  
multiplicantur peccata in tabernis, choreis, lasciviis, quas  
docet otiositas; tum quia dies operabiles vix sufficiunt pau-  
peribus ad necessaria procuranda. Insuper quoque est

Collectio Conciliorum edit. Colon. an. 1551. Scriptum quod-  
dam, cui titulus, Opusculum Tripartitum, in quo enarra-  
tis excessibus, qui diebus festis perpetrantur, proponitur  
ab illius Authore, quòd quibusdam diebus festis oportet  
Operariis post auditum divinum Officium, ire ad opera  
sua.

35. Verum ut omnia clara evadant, oportet examinare,  
an id fieri possit, et unquam factum fuerit.

36. Quantum ad primum respondent Theologi Morales  
affirmative, prout videre est apud Navarrum in Mammali  
cap. 13. num. 5. apud Azorium Instit. Moral. part. 2.  
lib. 1. c. 26. quest. 8. apud Sibilinum Theol. Moral. Tract.  
27. cap. 5. num. 10. apud Gobat Tract. 5. num. 121. apud  
Guyetum lib. 2. de Festis propriis cap. 19. quest. 4. et  
fusiè apud Suarez tom. 1. De Religione lib. 2. de Festis,  
cap. 11. num. 11.

37. Apud memoratos Authores legi possunt haec de re va-  
ria exempla, quorum aliqua hic subjungimus. Soepie  
citato tom. 1. Conciliorum Angliae pag. 677. in Acta refe-  
runtur Constitutiones Wigorniensis Episcopi promulga-  
tae anno 1240. in quibus fit distinctio multorum Festo-  
rum in ipsius Episcopatu servandorum. Quaedam dicun-  
tur ferianda ex toto in Episcopatu; quaedam ferianda

in omnibus preterquam carnis; et alia denique ferianda  
ab operibus Mulierum tantum. Tom: 14. Generalis Colectio-  
 nis Conciliorum refertur quaedam Constitutio, qua vigesima  
 est, edita an: 1523. pro reformatione Cleri Germania. Haec  
 Constitutio edita fuit ad reficiendum ingentem festorum  
 numerum: "Nec ab re, imò justis de causis adducti, festorum  
 multitudinem constringendam esse duximus. Postmodum  
 enumerantur festa, quae plene servari debeant, tam quoad  
 praeceptum audiendi Missam, quam quoad abstinendum ab  
 operibus servilibus, et tandem hinc concluditur: "In caeteris  
 "autem festivitatis, quaeunque ratione vel institutis, vel  
 "receptis, et quae sub praecepto celebrari debeant, permittimus,  
 "liberumque ungue facimus, ut, Missa audita, ad operas suas,  
 "quibus suam suorumque alimoniam quaerere cogitur, redire  
 "possit. Conformiter ad istud Systema in Concilio Provin-  
 ciali Trevirensi anno 1549. celebrati titulo de moderandis  
festis leguntur sequentia: "Caeterum dies Innocentium p.  
 "usque ad meridiem feriari volumus, ita ut factis sacro ungue  
 "ad labores et negotia sua redire liceat. Et in Saecrodotali  
 seu potius Manuali Eclesiastico de anno 1585. Cardinalis  
 Ludovici de Guisa Archiepiscopi Rhemensis haec etiam le-  
 guntur: "Inventionis S. Crucis, Sancti Michaelis Archangeli,  
 "Innocentium ab omnibus operibus usque post Missam.

38. Sed ut examen libelli Supplicis Patrum Tarraconen-  
 sium prosequamur; ubi de tribus festis Paschatis et  
 Pentecostes ipsis sermo est, obligationem audiendi Missam  
 simulque abstinendi ab operibus servilibus ad primum et  
 secundum harum festivitatum diem restringunt, tertio  
 autem tam Paschatis, quam Pentecostes die obligationem  
 audiendi Missam duntaxat decernunt, quae audita libertatem  
 ungue tribuunt vacandi servilibus operibus. Negari nec  
 potest nec debet, videri admodum aequum esse, ne non etiam  
 veteri disciplina consentaneum, ut ea festa, in quibus fit com-  
 memoratio excellentissimorum Sanctae fidei nostrae mysterio-  
 rum, non uno solo, sed plurimum dierum continuatione celebra-  
 tur; at inde non videtur posse inferri, opportunam non  
 fuisse providentiam retinendi omnia tria festa Paschatis et  
 Pentecostes, tribuendo in ultimo pauperibus facultatem,

operibus servilibus, audita Missa vacandi. Apud Bailletum  
Tom: 4. Vita Sanctorum edit: Paris: an: 1707. pag: 55. videri  
potest, quam varia fuerit Disciplina Eclesiastica respectu nume-  
ri dierum, quibus celebratum fuit utrumque Festum istud.  
Uterius progreditur Thiersus loquens jam allegato Tractatu  
De Gestorum immunitate cap: 53. ubi, postquam in sua  
opinionem fixam statuit, Episcopos Ordinaria sua authorita-  
te posse numerum Gestorum immutere, sic pergit: "Jam  
"vero si quindecim dies illi, qui olim ad agenda Paschatis  
"solemnia adhibebantur, ad novem, si novem ad octo, si octo  
"ad septem, si septem ad sex, si sex ad quatuor, si quatuor ad  
"tres, si tres ad duo, et duo ad unum redacti sunt, nonne unius  
"diei concludi poterit, ita Statuentibus Episcopis, Paschatis cele-  
"britas? cum jam neque minor sit, quam olim, Eclesiastica autho-  
"ritas, neque inferior Episcoporum potestas, et praeterea major  
"occurrat, ob temporis calamitatem, hominumque malitiam,  
"festos dies immutandi necessitas. Eadem paulo post repetit  
differens de duobus Pentecostes festis.

39. Denique memorati Patres, contenta utraque obligatio-  
ne audiendi Missam scilicet, et abstinendi ab operibus servi-  
libus, praeter Dominicas, in omnibus festis Domini, excepto ul-  
timo Paschatis et Pentecostes die, in quinque festis B. V.  
Mariae, et quantum ad Apostolos, in festo S. Petri et Pau-  
li, et S. Jacobi, relinquunt pauperibus libertatem post  
auditam Missam in ceteris Apostolorum festis laboran-  
di. Posita necessitate immutandi festa, atque labo-  
randi, ad quam adiguntur pauperes; praemissis primis  
supra stabilitis, quod nempe festum aliquod, cum S. Sedis  
consensu, sanctificari possit ~~et~~ Missam audiendo iunta-  
rat; postea denique, quod memorati Patres recensitum  
hoc suum Systema aequè circumstantiis ac populorum  
indoli conveniens censuerint, prout exitus demonstra-  
vit; illorum fervor et prudentia haud satis commenda-  
ri possunt, nec etiam protermitteri laudes, quae Apostoli-  
cae hujus illorum Systematis approbationi, atque illius  
ad alias Hispaniae Dioeceses ad eandem Episcoporum  
instantiam factae extensioni merito debentur. At  
ubi illud ad alias extra Hispaniam regiones transferri

11

contingeret, Specialiter ad Italiam, Suspicio oriri posset,  
ne improbationis periculo exponeretur; cum verisimile admo-  
dum sit, quod communiter ea sit Devotorum indoles, ut nempe  
Festa Domini, Beatissima Virginis Mariae, et omnium sin-  
gularumque Apostolorum celebrentur non minus, auditio-  
ne Missae, quam cessatione ab operibus servilibus, redacta  
ad aliorum Sanctorum Festa epiphania eadem Sanctificandi  
solum audiendi Missam praescripto.

40. Haec ratione non satis immo ne vix quidem tolli videren-  
tur incommoda, quae à nimio Festorum numero proveniunt,  
prout cuique apertum est: eo quod Festis Apostolorum,  
in eo, quae sunt, statu retentis, solummodo septem Festa essent  
residua, in quibus, auditam Missam, fas esset laborare, essentque  
3. Maji Inventio S. Crucis, 26. Julii Festum S. Annae, 29.  
Septembris Festum S. Michaelis, 28. Decembris Festum SS: In-  
nocentium, 31. Decembris festum S. Sylvestri, et inter me-  
diana ultimum Paschatis, et ultimum Pentecostes. Id  
igitur viam praeparavit ad dispendium et examinandum,  
an non occurrat quantum medium, quod normam, quantum possi-  
bile est, sumens ab idea Patrum Sarracenensium per anni-  
curriculum majorem dierum operariorum numerum redde-  
ret, quin offenderetur Devotio illorum, qui in festis Domini,  
Beatissima Virginis, et SS: Apostolorum utriusque praescripti  
desiderant.

41. Quantum istud medium in hoc consistit. Celebrat Eccl-  
esia uno eodemque die Festum SS: Petri et Pauli, SS: Philippii  
et Jacobi, necnon SS: Simonis et Iudae: hisque vestigiis insis-  
tendo proponitur, quod, ut dies operarii augerentur, posset ex  
rationibus postea subjungendis, transferri Festum S. Andreae  
à 30. Novembris ad Dominicam tertiam Junii; 21. Augusti si-  
mul cum Festo S. Bartholomaei celebrari Festum S. Thomae  
Apostoli; 21. Septembris cum festo S. Matthaei Festum S. Ma-  
thiae; 26. et non 27. Decembris, ex rationibus infra adducendis,  
Festum S. Joannis Evangelista cum Festo S. Jacobi Majoris fra-  
tris ipsius: et esse quatuor dies operarii, qui nunc non existunt.  
Continuando juxta hanc normam, posset die 19. Martii cum  
Festo S. Josephi celebrari Festum S. Annae et S. Joachimi, quod  
vi novi Decreti Sacrae Venerabilium Congregationis hodie dum celebra-

tur Dominicâ quartâ Augusti, et 10. Augusti cum festo  
S. Laurentii celebrari festum S. Stephani, et ecce adhuc duo  
alii dies operarii, qui cum aliis quatuor conjuncti sex dierum  
numerum efficiunt, qui septem aliis, in quibus juxta sis-  
tema Patrum Tarraconensium, audita Missâ, labori ma-  
num innumabili est, juncti, si non septemdecim, prout in  
predictorum Patrum sistemate evenit, saltem tridecim  
dies operarios efficiunt, qui numerus nec nimis magnus, nec  
nimis exiguus per anni usum foret. Factâ hæc festo-  
rum conjunctione quatuor equidem dies spuriales præter-  
mitterentur, scilicet Vigilia S. Andrea, S. Thomæ, S. Mathie,  
et S. Jacobi; at ne quis malè actum arbitretur, si immi-  
nutis festis etiam jejunia immineantur, cum S. Triden-  
tinum Concilium dicat De Extrema Unctione, quod  
vita Christianorum perpetua debeat esse poenitentia,  
prout opportune animadvertit Thiersus locè citatò ope-  
re c. 53. versus finem, translato, prout jam dictum, à 30. No-  
vembri ad Dominicam tertiam Junii festo S. Andrea, posset  
etiam à 29. Novembri transferri jejunium ad Sabbatum, quod  
dictam Dominicam præcedit; et respectu aliorum trium jeju-  
niorum vel posset restitui antiqua laudabilis Disciplina  
trium dierum spurialium in tribus Rogationum diebus,  
prout videre est Can: Rogationes de Consecratione Dist: 3.  
translatis ad exemplum Ecclesie Mediolanensis Rogatio-  
nibus post Ascensionem, ne ab universali intra Pascha et  
Pentecosten non jejunandi Disciplina discedatur; quem-  
admodum observavimus Tom: i. Nostrarum Notificatio-  
num Notif: 3. vel, in gravi incommodum reputaretur,  
propter continuationem trium dierum spurialium, præ-  
sent tribus jejunis, quæ tolluntur, substitui alia tria unum  
pro festo Circumcisionis, alterum pro festo Epiphania, et  
tertium denique pro festo Corporis Christi.

42. Majores nostri unicum festo colebant omnes simul Apo-  
stolos, si Liber Thomassinus lib: 2. de dierum festorum cele-  
bratione c. 23. ubi postquam ait, probabile esse, quod  
quilibet Sanctus Apostolus in eo, quo Martyrium subiit,  
loco speciale festum habuerit, quoad Universalem.

Ecclesiam hac addit: "Univerſa tamen Chriſtiana Res—  
 "publica omnium ſimul Solemnia celebranda eſſe exiſtima-  
 "vit, quòd omnium Orbis Eccleſiarum Parentes et Marty-  
 "res dicit poſſint. *Auratiſſima videtur haec eſſe Hiſto-*  
*ria Thierrii Loepè cit: Tract: c. 55. Ibi demonſtrat, an-*  
*tiquum eſſe in utraque Eccleſia Feſtum SS: Apoſtolorum*  
*Petri et Pauli, in quo proinde comprehendì intelligeba-*  
*tur Feſtum omnium ceterorum Apoſtolorum ꝑ: quòd*  
*etiam indicat Thomaffimus ꝑ: poſtmodum memorat, in-*  
*troductum adhuc fuiſſe in Eccleſia Occidentali Feſtum*  
*SS: Philippi et Jacobi, et in eò finem fuiſſe Feſtum*  
*omnium SS: Apoſtolorum, excepto feſto SS: Petri*  
*et Pauli, quòd iſſorum cultui ſpecialiter dedicatum*  
*permansit. Huius facti ſeriem fulciunt complures*  
*graves Authores. Clarum eſt Teſtimonium Joannis*  
*Beleti in Explicatione Divinorum Officiorum. c. 24.*  
 En iſſius verba: "Nunc dicendum eſt de quibuſdam  
 "Solemnitatibus, quæ hoc tempore in Eccleſiis cele-  
 "brantur, videlicet de Feſto Sanctorum Philippi et  
 "Jacobi, et omnium Apoſtolorum. Sic enim eſt in  
 "magnis et plenis Kalendaris. Cùm tempus hoc maximè  
 "Solemnitatibus conveniat, cumq̃ue in primitiva  
 "Eccleſia Apoſtoli non haberent partiulares Solemnita-  
 "tes, ſtatutum fuit, ut iſſis Kalendis Maji celebrare-  
 "tur Solemnitas in honorem omnium Apoſtolorum.  
 "Hoc etiam die Feſtum eſt Philippi et Jacobi. Idq̃ue  
 "ideo, quia fortè iſo die paſſi ſunt. Belletus fuit  
 "Magiſter Durandi, eiq̃ue Durandus adheret *Lib: 8. Ra-*  
*tional. Divin. Offic. c. 10.* ubi ſic ſcribit: "Ut tempus  
 "Baſilicæ conſervaret Solemnitatibus, quæ intra idem  
 "eveniunt, præſertim cùm Apoſtoli in Eccleſia primi-  
 "tiva non haberent partiulares Solemnitates, ſtatu-  
 "tum fuit, ut in Kalendis Maji celebrarentur Solem-

nitates ad honorem omnium Apostolorum; ut dies va-  
rii non viderentur dividere, quos una dignitas et Apos-  
tolatus in caelesti gloria fecit esse Sublimes; quod Festum  
Graeci celebrare dicuntur in Festo Apostolorum Be-  
trici et Pauli. Haec etiam die festum est Aposito-  
lorum Philippi et Jacobi, quia forte die ista passi sunt.  
Concordat Micrologus lib: de observ: Eccles: c. 55. = In-  
venitur in Martyrologiis, sive in Sacramentariis, festivi-  
tas Sanctorum Philippi et Jacobi, et omnium Aposito-  
lorum. Si secundum rigorem loqui velimus, non po-  
test sustineri opinio Belleti et Durandi, quod scilicet  
ambo SS: Apostoli Philippus et Jacobus uno eodemque  
die Martyrium passi fuerint: at vero quod conjunctionem  
amborum horum Apostolorum in unico festo spectat, juxta  
propositum Systema, quod modo examinamus, minime  
contemnendum est factum ab ipsis relatam, quod nem-  
pe in festo SS: Philippi et Jacobi celebratum fuerit  
festum omnium Sanctorum ceterorum Apostolorum;  
et inde etiam commendationem meretur ratio  
facti hujus ab ipsis adducta.

43. Conjunctio Festorum quorundam Apostolorum  
evincit conjunctionem Festorum quorundam aliorum  
Sanctorum. Sed ut integrum Systema modo propo-  
situm magis adhuc firmetur, exponenda sunt diffi-  
cultates, quae contra idem adduci possunt: quod non  
minus proderit ad ostendendum, nos nihil silentio  
preterire, quam ad exponendas novas pro id rationes.  
Prima ergo, quae occurrit, difficultas haec est; scilicet  
posse quidem uno eodemque die celebrari festa duo-  
rum Sanctorum, quando eodem die mortui sunt, non  
autem, cum diversis diebus obierunt.

44. Sed Respondetur: Equidem haec nostra aetate  
uno eodemque die celebrari Festum SS: Petri et Pau-  
li, eodemque Festum SS: Simonis et Iuda, necnon

etiam eodem festum SS: Philippi et Jacobi. At  
 quamvis pie credere oporteat, ambos SS: Apostolos Petrum  
 et Paulum Roma eodem die Martyrium subisse, eoquod  
 in Martyrologio Romano 29. Junii sic legatur: Roma  
 "Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, qui eodem  
 "anno eodemque die passi sunt sub Nerone Imperatore:  
 non tamen certum est, SS: Simonem et Judam, qui, pro-  
 ut notum est, post longa itinera palmam Martyrii in  
 Berfide obtinuerunt, uno eodemque die obisse: profecto  
 in Menologio Graecorum festum S. Simonis celebratur  
 10. Maji, et festum S. Thadæi seu Judæ 21. Augusti, prout  
 bene animadvertit Guyetus De festis propriis lib: 2. c. 2.  
quast: 12. Quod fundamentum aliquod præbere posset  
 asserendi, quod licet in eodem Regno uterque Martyrium  
 passus sit, non tamen uno eodemque die id factum fuerit,  
 qua de re sufficiet consuluisse Martyrologium Florentinum  
28. Octob: Bailletum eodem die, Cardinalem Baronium  
 et Dominum Astensem in Notis ad Martyrologium Roma-  
num. ubi deprehendetur, quot variis diebus celebratum  
 fuerit festum dictorum SS: Apostolorum Simonis et Judæ,  
 et quidem separatim.

Quod vero ambos SS: Apostolos Philippum et Jacobum  
 spectat, quorum festum celebratur 1. Maji, falsa est opi-  
 nio Belletii et Durandi, videlicet eos uno eodemque die  
 obisse. Hic opus non est investigare, quo die mortuus  
 sit S. Philippus, qui Hierapoli extremam vitam diem clausit:  
 Sufficit inquirere, quonam die S. Jacobus Minor Martyri-  
 um subierit. Illud nempe passus est Hierosolymis ipso Pas-  
 chatis die; Pascha vero nunquam potuit cadere in primam diem  
 Maji. Apud nos Christianos Pascha celebratur paulo post pleni-  
 lunium Martii, et idco nunquam potest cadere post 25. Apri-  
 lis. Et cum Pascha, si celebratur paulo post plenilunium Mar-  
 tii, non possit cadere in primum diem Maji, multo minus  
 poterit cadere in eundem primum diem Maji, si ab Hebræis  
 celebratur, prout se ipsa celebratur, in dicto plenilunio; juxta

cap: 23. Levitici. Rabanus et Notkerus in suis Martyrologiis  
supponunt, quod Pascha eò anno, quo Martyris ab Hebraeis  
affectus est S. Jacobus invidet in 25. Martij, atque proinde  
post Passionem Domini subjungunt: « Et passio Sancti Ja-  
« cobi Fratris Domini, qui in Pascha Solemnitate Judaeis  
« Christum testificans, de Templi est culmine praecipitatus,  
« ac Judaeis veste percussus: ex quo procul dubio patet,  
quam difficile, ne dicam, omnino impossibile sit, tueri SS:  
Philippum et Jacobum Martyrium subisse primo die  
Maji.

45. Prima difficultati adversus propositum Systema  
succedit altera, atque in eo consistit, quod, si dicta Festa  
simul conjungantur, periculum sit, ne tollatur festum  
Sancti alius die, quo mortuus est; cum aliunde  
constet, atque jam superius coniectum sit, eam esse Ec-  
clesia Disciplinam, ut, ubi id fieri potest, Festum cu-  
juslibet Sancti celebretur ipso die, quo obiit.

Sed responderi potest, hoc ultimum equidem esse  
verum, at vero à veritate esse alienum, quod, ubi fes-  
ta modo prius indicata simul conjunguntur, tollatur  
Festum Sancti alius die, quo ex hac vita migravit,  
prout statim demonstrabimus.

46. In proposito Systemate transfertur Festum S. An-  
drea ad Dominicam tertiam Junii. Cum certo dici non  
possit, quod S. Andreas mortuus sit 30. Novembris, id eò  
aperiri non potest, quod ubi festum ipsius à dicta die tolli-  
tur, ab ea die tollatur, qua Martyris coronatus est. Con-  
sona sunt omnia ferè Martyrologia tam vetera quam  
nova quoad celebrationem memoriae S. Andreae 30. Novem-  
bris. Rei cardo igitur in hoc versatur, num scilicet die  
illa Martyrium sit passus: Florentinus author celebris  
in suo Martyrologio pag: 166. facta ad 30. Novembris com-  
memoratione S. Andreae, ait, dictum diem «edis Episcopalis  
« fixationem fuisse potius, vel alius reliquiae, aut corporis  
« translationem, quam exantlati ibi per mortem triumpho

monumentum. In Menologio Graecorum ad diem 30. No-  
 vembriis fit etiam mentio non tantum passionis huius Sanc-  
 ti, sed et illius corporis Constantinopolim translationis.  
 Translatio proin festi illius ad Dominicam tertiam Junii  
 inde firmatur, quod eadem die unicum translatione  
 facta fuerit à Pontifice Pio II. collocatio venerandi  
 illius Capitis in Basilica Vaticana, cuius Basilica Clerus  
 eandem Solemniter ipsa hac die celebrat: enimvero novum  
 quid non est, imò antiquum et Eulogiae Disciplina con-  
 gruum, prout inferius patebit, quod, cum praesens mortis  
 Sancti alicujus dies ignoratur, festum illius celebretur in  
 die Solemnis cuiusdam ipsius reliquiarum translationis. Et  
 quamvis translatio à 30. Novembriis ad Dominicam tertiam  
 Junii festo S. Andreae, celebretur festum Sancti alicujus in  
 quadam Dominica, quod non adeò bene fieri supra dictum  
 est; non tamen videtur extra propositum esse, si considere-  
 tur, quod Micrologus supra num: 22. allegatus à regula non  
 celebrandi festum Sancti alicujus in Dominica exijiat casum  
 festi insignis cuiusdam Sancti, qualis sane est S. Andreas.  
 quod Rodolphus num: 23. adductus non admittat festum  
 S. Andreae in Dominica, ne aliqua Adventus Dominica tola-  
 tur duntaxat, quod in nostro casu evenire non potest; quod  
 Concilium Moguntinense num: 24. citatum admittat, posse  
 diebus Dominicis celebrari festum Apostolorum; et quod Theer-  
 sus invehatur, non quidem contra celebrationem festi  
 Sanctorum Apostolorum in quadam Dominica, sed contra  
 celebrationem festi Sancti alicujus cum Apostolis hanc com-  
 parabilis, in quadam Dominica. Praeterea si in sistema-  
 te, quod est in questione, à Dominica quarta Augusti tol-  
 latur festum S. Joachimi, quod nunc in ipsa Dominica  
 celebratur, et transferatur ad diem 19. Martii, esse uno  
 ictu laicium damnum, quod, collocato ad Dominicam  
 tertiam Junii festo S. Andreae, Dominicus infestus. Fortè  
 in mentem venire potuisset conjungere S. Andream cum  
 alio quodam Apostolo, verum sic non esset, juxta quod tamen  
 afolet, festum duorum sed trium Apostolorum; et si  
 propter convenientiam, quia videlicet S. Andreas fuit

frater S. Petri, atque, prout legitur in Evangelio S. Joannis, primus Jesum Christum invenit, et ad illum S. Petrum duxit, illius festum transferretur ad festum SS. Petri et Pauli, praeter adductam incongruitatem celebrandi uno eodemque die festum trium Apostolorum, id non cohereret cum sacra antiquitate; enimvero in Museo Italico B. Mabillonii Ordine Romano undecimo pag: 152. memoratur, quod Summus Pontifex in festo S. Andreae cum universo Clero S. Petri Basilicam adiret, atque ad altare ipsius Vesperarum et Vigiliarum functiones peregerit, necnon dicto die S. Andreae sacro Matutinum celebravit ad Altare S. Petri fratris ipsius; non autem, quod in festo S. Petri Matutinum interfuerit ad Altare S. Andreae, quia decebat, ut intactum et aliis non commune remaneret festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.

47. In proposito Sistematè dictum fuit, conjungenda esse ambo festa S. Bartholomaei et S. Thoma in unum 24. Augusti celebrandum, quo die nunc celebratur festum S. Bartholomaei. forte opportunius videri potuisset, celebrare festum S. Bartholomaei unicum festo S. Thoma 21. Decembris: Sed cum experientia nimisquam aperte testetur, Artifices in festo S. Thoma, quod celebratur 21. Decembris, in suis domibus laborare, ut ad proxima Natalis Domini festa finire valeant opera sua, melius fore visum est, festum S. Thoma transferre ad 24. diem Augusti. Neque etiam, qua de re huc est quaestio, hac agendi ratione tollitur festum S. Thoma à die, qua Martyrium passus est.

48. Animus huc non est, diem designare, quo ambo Sancti Bartholomaeus et Thomas ab hac vita migrarint; enimvero haec in re nimisquam varia sunt Martyrologia, si ve quaestio sit de Martyrologiis Ecclesiae Occidentalis, si ve Orientalis, prout videre est apud Solierium, Gaesinum, Cardinalem Baronium, et Dominum Astensem in suis Notis ad dicta Martyrologia; necnon apud Tillmontium et Bailletum quilibet legere potest argumenta et probationes, quod in aliquibus Ecclesiis festum S. Thoma celebratum fuerit mense Julio, et in aliis etiam mense Martio.

49. Hoc ~~etiam~~ duntaxat afferere possumus, quod nempe  
 24. Augusti celebratur Festum S. Bartholomaei, non quod  
 hic dies sit natalis ipsius, sed quia die isto facta fuit Solemnis  
 reliquiarum ipsius translatio: "Antiquum Manuscriptum  
 "Kalendarium, quod apud nos habemus / inquit Baronius /  
 "ad IX. Kal. Septembris habet translationem Sancti Bar-  
 "tholomaei. At vero natalem ejus diem celebrant III. Idus  
 "Julii. In dicto autem Kalendario agitur ad diem XV. Kal.  
 "Julii. Ex his apparet, tam Roma, quam etiam in Orien-  
 "tali Ecclesia hac die agi consuevisse de translatione Sancti  
 "Bartholomaei. Et, mentione facta mortis S. Bartholo-  
 "maei, addit Solerius: "Bartholomaei Apostoli, festivityta-  
 "tem variis olim diebus celebratam fuisse, praesertim à  
 "Graecis p. Satis constat p. Hieronymiana Apocrypha Bar-  
 "tholomaei in Besside natalem referunt 13. Junii, et ibi  
 "Codices nostri aliqua inter auctuaria de coegerunt.

50. Quod dictum est de S. Bartholomaeo idem etiam dici  
 debet de S. Thoma Apostolo, quod scilicet ipsius Festum cele-  
 bretur 21. Decembris, non quod ea die mors ipsius secuta  
 fuerit, sed facta ipsius Reliquiarum translatio, quemad-  
 modum testatur citatus Solerius ad dictam diem 21. De-  
 cembris. "In Mesopotamia in Civitate Uessa translatio  
 "Corporis S. Thoma Apostoli, qui translatus est ab India, cujus  
 "passio ibidem celebratur V. Nonas Julii p. Wandelbertus  
 "Natalem, seu Passionis diem, de quo certe non constat,  
 "nusquam videtur agnoscere, solum hoc die translatio-  
 "nem canens: Translati Thoma ~~est~~ celebrat duodenus  
 "honorem.

51. In proposito Rostemate dictum est, celebrandum esse  
 21. Septembris unicum Festo S. Matthaei Festum S. Mathiae,  
 quod nunc celebratur 24. Februarii: nec etiam in ista  
 horum binorum Festorum conjunctione dici potest, quod  
 vel unius horum Sanctorum Festum à die, in quo mors ipso-  
 rum secuta est, tollatur. Castellanus vult, quod mors S.  
 Mathiae accidit 21. Maji. Florentinus in suo Martyrolo-  
 gio ad diem 24. Februarii notat, non esse rem adeo anti-  
 quam, quod dies Natalis S. Mathiae celebratur 24. Februarii.

„ Ad 24. Februarii natalem S. Mathiae à Corbejensi Martyrologio  
„ indicatum Codices nostri cum Antuerpiense non habent. Neque  
„ antiquis temporibus in univ[er]sa Occidentali Ecclesia hac die  
„ fuisse celebrem probant, quae Menardus notat ad Divi Grego-  
„ rii Sacramentarium: dum alia Manuscripta hanc S. Mathiae  
„ celebritatem non habent. Solierius quoque certam non  
„ asserit, prout vult Castellanus, mortem S. Mathiae ad 21.  
„ Maji, attamen opinionem Florentinam non rejicit: „ Non usque  
„ adeo certum est, ut quidem vult Castellanus pag: 732. Ma-  
„ thiam Apostolum ab Hieronymianis recoli 21. Maji p.  
„ Nihilominus Mathiam eo die suscipit Florentinus  
„ pag: 543. putatque, recentioris instituti esse, quod in utroque  
„ Corbejensi ejus festivitas hoc 24. Februarii consignetur.

52. Cum ergo incertus saltem sit dies mortis S. Mathiae,  
firma conclusio deduci non potest, quod, translato ejus  
festò à 24. Februarii ad 21. Septembris, mutetur dies,  
quo ipse mortuus est. Incertus etiam est dies Mortis  
S. Matthaei, cum Graei ipsius festum celebrent die 16. De-  
cembris, quemadmodum testantur Gelasius, et Ba-  
ronius, necnon apud Solierium legatur, varias esse opi-  
niones circa Sancti hujus mortem, quia in Martyrolo-  
gis celebratur modo 1. modo 6. Maji, modo 7. octo-  
bris, et modo 21. Septembris propter reverentiam erga  
Breviarium Romanum, quod in sexta lectione eam  
adhuc diem figit, cessat omnis scrupulus Sancti istius na-  
talem diem in alium mutandi.

53. Conjungitur in proposito sistemate festum S. Jaco-  
bi Majoris cum festo S. Joannis fratris ipsius, adeo ut utrum-  
que celebretur 26. Decembris. Equidem hodie celebra-  
tur festum S. Jacobi Majoris 25. Julii: verum Ecclesia hac  
die ipsius festum celebrat, non quod in ea mortuus sit, sed  
quia hac die facta fuit translatio Corporis ipsius. Sic legitur  
in Martyrologio Romano ad 25. Julii, et sexta lectione offi-  
cii ipsius in Breviario Romano. Petrus de Natalibus  
vult, quod mortuus sit 25. Martii, et quod, cum à potio-  
ri dies iste impediatur per festa Salvatoris nostri, Eccle-  
sia consultum duxerit transferre ipsius festum ad tem-

pus magis congruum: " Ne igitur festum Salvatoris ex Apos-  
 "toli Solemnitate impediretur, Statuit Ecclesia, ut festum  
 "Passionis ejus in die translationis Corporis tempore vide-  
 "liet magis congruo celebraretur. Concordant Beletus  
 et Durandus, quos citat et sequitur Galesinus addi-  
em 25. Julii. Et pro conjunctione festi S. Jacobi  
 Majoris cum festo S. Joannis Evangelistae fratris ipsius  
 facit, quod in Sacramentario antiquissimo, dato in  
 lucem à Cardinali Thomaso, reperiatur insertum  
 Missale quoddam Gothicum, in quo post Missam S. Ste-  
 phani, et ante Missam SS. Innocentium inscribitur  
 alia pro die natali predictorum duorum Apostolorum  
 et fratrum Jacobi Majoris et Joannis Evangelistae: Mis-  
sa in Natale Apostolorum Jacobi et Joannis. Simile  
 quod legitur pag: 272. et seq. cit: Sacramentarii, ubi  
 in Collecta Ad pacem dicitur, quod Dominus Deus in-  
 tra hos binos Sanctos Apostolos omnium ceterorum Apos-  
 tolorum Martyrium velut inclusit, quasi S. Jacobus  
 viam aperisset ad gloriosam sanguinis effusionem,  
 S. Joannes Evangelista vero illius consummationem  
 complevisset: " Domine eterne, cui ita in Sanctis Apos-  
 "tolis tuis Jacobo, et Johanne plauit arcanum dis-  
 "pensationis im..... ut glorioso Passionis exemplo  
 "Apostolorum chorum ille praeiret, iste promitte-  
 "ret, atque ita inter utrumque grex consummaretur  
 "beatus, ut omnium devotionem ille praeiret, iste  
 "concluderet, miserere nostri p... Præterea con-  
 jungitur festum S. Jacobi cum festo S. Joannis, quia  
 25. Julii, quo nunc celebratur festum S. Jacobi, oc-  
 currit magnus agrorum labor; de quo Thiersus c. 95.  
Treatatus hui sic scribit: " Denique S. Jacobi Majoris  
 "celebritas ferè semper triticeæ mesis temporibus aue-  
 "dit, quibus rusticam progeniem laboribus invigilare  
 "necesse est; sicque metuendum, ne festum illud in

« Christiana pietatis officii agitandum violetur, ac profa-  
« num fiat. Et ex eadem necessitatem populi et messis la-  
borum ratione testatur Bailletus ad diem 25. Julii in vita  
S. Jacobi Majoris num: 7. Quod in aliquibus Diocesisibus  
Galliarum ipsius Festum ad diem Dominicam transfera-  
tur, id est, vel differatur usque ad Dominicam sequentem,  
vel anticipando celebratur Dominica praecedente. In-  
super Festum S. Joannis uno die retro collocatum est,  
nempe à 27. ad 26. Decembris, ne dies Natalis Domini, qui  
25. Decembris celebratur, subsequenti festo careret, quod  
tamen eveniret juxta novum Systema, in quo scilicet  
Festum S. Stephani, quod celebrabatur 26. Decembris,  
transferretur ad 10. Augusti: quod fieri potest, quin Ses-  
tum S. Joannis tollatur à die, qua mortuus est; cum  
certo die non possit, quod obierit 27. Decembris, quamvis  
indigitetur in Martyrologiis paulo ante citatis. Un-  
de Suarez Tom. 1. de Religione lib. 2. de Festis cap. 6. haec  
scribit: « Probabile est, Eusebia non constituisse de die obi-  
« tus, seu transitus Sancti Joannis Apostoli, ideoque  
« illum diem 27. Decembris designasse, et Festum ejus cum  
« Natali Domini conjunxisse ad augendam illius Festi Solem-  
« nitatem. In Eusebia Graecana, prout testatur Cardi-  
nalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ce-  
lebratur Festum S. Joannis Evangelistae 26. Septembris. Con-  
cordat Menologium à Cardinali Sidoto à Graeco in Lati-  
num translatum, ubi ad 26. Septembris haec leguntur:  
« Migratio Sancti gloriosi et celebris Apostoli et Evan-  
« gelistae Joannis cognomento Theologi. Quod  
etiam observat Florentinus in suo Martyrologio pag: 127.  
et pia memoria Cardinalis Gotti Tom: 3. de Veritate  
Religionis Christianae pag: 331. Ne non apud Baille-  
tum videri potest, quot diversis diebus celebratum fue-  
rit Festum S. Joannis Evangelistae, scilicet quandoque  
24. Junii unum festo Sancti Joannis Baptista,  
et quandoque 25. Maji.

Ut argumentum, quod, per conjunctionem duorum  
 festorum in unum, non tollatur festum Sancti alicujus  
 à die, quo mortuus est, ulterius prosequamur, difficile erit  
 tueri, quod S. Josephus mortuus fuerit 19. Martii, S. Anna  
 26. Julii, et S. Joachimus 20. Martii. Unde translatis ad 19.  
 Martii festis S. Annae, et S. Joachimi, nunquam dici po-  
 terit, quod festum unius ex his Sanctis tollatur à die, quo  
 obiit. Quod S. Josephum spectat, nequidem annus, quo  
 mortuus est, scitur; scribit enim S. Epiphanius Hæresi 78.  
 ipsum mortuum esse post inventum Jesum Christum in  
 Templo, quia sacer textus post factum istud nullam  
 amplius de illo facit mentionem; alii vero Patres scilicet  
 SS. Cyrillus, Joannes Chrysostomus, et Ambrosius eum etiam  
 post passionem Redemptoris nostri superstitem fuisse  
 contendunt, prout videre est in Opere nostro de Canoni-  
zatione tom. 4. part. 2. c. 19. num. 37. et 47. De S. Anna  
 in quod Concilio Hafniensi celebrato in Dania an. 1425.  
 statuitur, ut ipsius festum celebretur 9. Decembris, unde  
 velut ex propria et legitima conjectura concludi po-  
 test, nullum esse ~~arg~~ argumentum, quod ipsa obie-  
 rit 26. Julii. Item statimur, quod festum S. Annae  
 "Matris Genitricis Dei Beatae Mariae Virginis quoli-  
 "bet anno in crastino conceptionis ejusdem Beatae Ma-  
 "riae Virginis per totam nostram Provinciam pro festo  
 "terrae et populi in posterum celebre habeatur. Si  
 festum S. Joachimi à Dominica quarta Augusti, quo  
 die nunc celebratur, ad 19. Martii transferatur, tolli-  
 tur festum unius Sancti super in dicta Dominica collo-  
 cati, quod, prout superius indicatum est, sicut Jam-  
 num Dominicis, ~~id est~~ finis ad Dominicam tertiam  
 Junii festo S. Andreae, illatum. Translato quoque  
 festo S. Annae à 26. Julii ad 19. Martii, tollitur nimis-  
 quam crebrum inconveniens non servandi illius festum  
 propter opera ruralia, quemadmodum bene notat

Thiersus loquere citato Treatatu c. 57. " Ut plurimum messis  
" tempore evenit: quo fit, ut colligendarum terra frugum  
" necessitate impulsus rusticani populi, aut cum illicitis  
" laboribus suis violent, aut eâ, qua par esset, religione  
" non agitent. Nec adversus conjunctionem trium  
horum festorum in unum ubi pacto valere potest ani-  
madversio, quod non agatur de duobus duntaxat, sed de  
tribus Sanctis, vel quod duo cultum Confessoris obti-  
neant, tertia vero cultum nec virginis nec Martyris.  
Enimvero ubi non agitur de Apostolis, quorum duo  
ad summum solent conjungi in uno solo festo, prout  
supra visum est; sed de Sanctis duntaxat, qui sibi  
invicem sanguine sunt conjuncti, et unam eandemque  
familiam efficiunt, novum non est, quod tria et  
plura adhuc illorum festa uno eodemque die celebren-  
tur. Ecclesia Graecana unius die 26 Januarii cele-  
brat festum S. Xenofontis et uxoris ipsius, necnon  
SS: Arcadii et Joannis filiorum suorum. Ecclesia vero  
Latina 20. Septembris celebrat festum SS: Eustachii  
et Theopista conjugum, necnon Agappi et Theopisti  
filiorum suorum. Quantum vero ad rituum diver-  
sitatem, juxta Calendarium Romanum 28. Julii cele-  
bratur uniter festum SS: Nazarii, Celsi, et Capra-  
Victoris Martyrum, necnon Summi Pontificis Inno-  
centii Confessoris. Gruetus lib. 2. de festis pro-  
priis cap. 8. quest. 3. proponit questionem, utrum  
in uno eodemque festo ac uno eodemque officio con-  
jungi possint Sancti ordinis diversi, puta Confessores  
cum Martyribus, non Pontifices cum Pontificibus,  
ac cum eis etiam Virgines et aliae foeminae; et respon-  
det affirmativè, atque, non modo conveniens esse,  
ut fiat talis conjunctio, si Sancti hujusmodi eodem  
die obierint, sed etiam, si inter eos quaedam affinitas  
vel analogia reperiat. " Si aliqua alia affinitate  
" constricti unius proinde ejusdemque festi Societatem

18

quodammodo exigunt. Quales analogia seu affir-  
tas utique reperitur inter Ss: Josephum, Joachimum  
et Annam, primus quippe Sponsus est, Secundus Pater,  
tertia vero Mater Beatissima Virginis Mariae.

55. Pro coronide propositi Systematis Superest, ut  
quosdam adhuc de conjunctione binorum Festorum Ss:  
Laurentii et Stephani ad diem 10. Augusti, differamus,  
ne non dispiciamus, an per hanc conjunctionem tolla-  
tur unius horum Sanctorum Festum à die, quo ipse obi-  
it. Omnes, velut certum quid, Martyrium S. Laurentii  
die 10. Augusti constituent, hinc dies non mutatur, sed  
ad idem transfertur Festum S. Stephani, quod hodiernum  
celebratur 26. Decembris, quo die profecto mortuus non  
est, cum probabile sit, eum 3. Augusti obiisse, prout ad  
hanc diem notat Notherus dicens: «Hae die aut lapidatum  
aut saltem à gamalielè sepultum Stephanum. Concordat  
B. Cajetanus Merati in his additionibus ad Gavantum  
ad diem tertium Augusti: «In Calendario Leonino hae  
die celebratur festum potius S. Stephani Protomartyris,  
quam Reliquiarum ejusdem inventionis, collecta enim  
omnes de ejus Natali loquuntur, nihilque de eo habetur  
die 26. Decembris. Solerius ad diem tertium Augusti  
idem dicitur à Notherus; et ad 26. Decembris ait, celebrari  
eo die Festum S. Stephani in memoriam prima Reliquia-  
rum ipsius translationis: «Diffiteri non possumus, varias  
epe inter eruditos de Sancti Protomartyris Natali, In-  
ventione, et translatione opiniones p. Hinc aliqui  
non inverisimiliter deducunt, hodiernam festivita-  
tem p. 26. Decembris: / translationi prima ex antiquo  
ad novum Sepulchrum aptari commodissime posse.

56. Denique Systemati haecenus exposito obstare  
videri posset necessitas instituendi novas lectiones pro  
Festis simul conjunctis, et etiam faciendi exiguum

quandam mutationem in Missali. Verum haec diffi-  
cultas haud multum attendi debere videtur, tum quia id  
prestare non admodum est operosum, tum quia cum  
multa sit Dioecesis, in qua, praeter Breviarium Romanum  
ii, qui ad recitationem divini officii tenentur, non  
debeant habere speciale aliquod lectionarium pro Sancto  
de quibus ibidem celebratur officium, nec tamen in  
Breviario Romano continentur, ad effectum, de quo  
est sermo, obtinendum solummodo opus est, ut  
praedictis lectionibus aliae novae jungantur, nec non  
Missali exiguum quoddam folium inferatur.

57. Haec sunt, quae exponere opportunum judicavi-  
mus ad lucrandos dies pro egenae plebis labore, mayo-  
renque erga festa venerationem induendam, redu-  
cto lucrò isto, prout supra dictum est, ad tredecim  
per annum dies, quibus adnumerari non debet fes-  
tum Patroni praecipui cujuslibet Civitatis, quod  
etiamnum in Bulla Urbani VIII. excipitur; è me-  
dio quoque sublatis festis de praecipuo, quamvis  
votò stabilitis, vel ad merae devotionis festa re-  
ductis juxta Decretum Sacrae Rituum Congregatio-  
nis à Pontifice Urbano approbatum, prout supra  
diximus, vel datà Episcopis facultate ea in alia  
pia opera juxta praescriptum in Brevis mox subjun-  
gendo committandi.

58. Pro conclusione examinanda proponuntur sequen-  
tia Capita, super quibus cujuslibet Suffragium scripto-  
tenus petitur.

59. Primo, an stantibus sollicitationibus et instan-  
tiis procedendum sit ad innovationem festorum de  
praecipuo.

19  
60. Secundo, an, si talis festorum immunitio facienda sit, expediat, quodam è Catalogo Bula Urbani VIII. in-  
serta obliterare, et quoniam.

61. Tertio, si id fieri non posse censeatur, num festo-  
rum de precepto infra septimanam cadentium ad dies  
Dominicos translatio locum habere possit.

62. Quarto, si hoc non convenire putetur, an ad-  
mitti possit Systema Patrum Tarraconensium su-  
pra expositum, ut nempe septemdecim diebus nunc  
de precepto festivis adimpleatur obligatio festum  
sanctificandi audità solummodo Missa.

63. Quinto, an, posito, quod neque Systema istud  
placeat, conveniens sit, quodam festa de precepto simul  
conjungere, curatis hæc ratione sex pro labore diebus,  
et reductis aliis septem de precepto festivis ad solam obli-  
gationem audiendi Missam; additis omnibus iis, que  
supra, ubi nobis de hoc Systemate sermo fuit, retuli-  
mus.

64. Ultimo denique, num acceptato qualicumque  
ex his Systematis, consultum sit novam edere Consti-  
tutionem, vel factà solummodo per Breve Apostoli-  
cum quibusdam Diocesis, in quibus secura sit obser-  
vatio, concessione, ~~apostolica~~ apostolari, donec alie  
eandem urgeant, cum ideà eam ad idas omnes  
extendendi, pro quibus instituerint Episcopi.

Venerabili Fratri Episcopo

Calaguritano

BENEDICTUS Papa XIV.

Ven. Frater, Salutem p.

Cum sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus  
Prædecessor noster, que nulla possunt ratione con-

„vedi, ita multa sunt, que aut pro consideratione aeta-  
„tum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari,  
„ illa semper conditione servata, ut in his, que vel du-  
„bia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum,  
„ quod nec preceptis Evangelicis contrarium, nec decretis  
„ Sanctorum Patrum ~~in~~ inveniatur adversum; ea-  
„ propter Apostolica hac Sancta Sedes pro Paterna erga  
„ universos Christi fideles benignitate, quoad integrum si-  
„ bi fuit, consuevit Supremam suam in iis authorita-  
„ tem interponere, que ceteroquin ad majus Divini Cul-  
„ tus incrementum prescripta, aut per frigescentem in-  
„ nomulorum cordibus charitatem ad otium luxuriam-  
„ que convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam  
„ necessariorum inopiam non sine conscientie angore  
„ contemuntur. Quoniam autem sicut pro parte  
„ Charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispania-  
„ rum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, ipsi  
„ Philippo Regi innotuit, in Provincia Ipuscoana,  
„ cujus pars in Fratemitatis tue Diocesi Calagurita-  
„ na continetur, preter festos dies in universali  
„ Ecclesia observari solitos, alios quamplurimos sive  
„ pietatis studio, sive quacunque alia de causa pre-  
„ ceptos agitari, ita, ut quamplurimis ejusdem Pro-  
„ vincie, et Diocesis tue hominibus, qui manu, et la-  
„ bore in sudore vultus vescentes pane suo, ob ingen-  
„ tem festorum dierum numerum, obtenta alenda  
„ vite necessitate, vetitis laboribus aditum jam late  
„ aperuerunt, si per omnes dies festos hujusmodi a ser-  
„ vilibus operibus abstineant, ad vitam hinc sustinen-  
„ dam laudquaquam tempus tempus sufficiat; ac prop-

20

« terea Nobis humiliter Supplicatum fuit, ut in pro-  
« missis opportunè providere, et ut infra indulgere de  
« benignitate Apostolica dignaremur: Nos itaque, qui  
« Christi fidelibus, quantum cum Domino possumus,  
« Salutare remedium potius ad eternam salutem com-  
« parandam, et humanam vitam honestè sustentan-  
« dam adhibere, quàm per severiorem Ecclesiastica dis-  
« cipline rigorem ad desperationem inopes adducere  
« cupimus, dictos homines specialibus p. volentes, et  
« eorum singulares personas à quibusvis p. consentes,  
« supplicationibus etiam ejusdem Philippi Regis ro-  
« mine p. inclinati, Fraternitati tuae per presentes  
« committimus et mandamus, ut, veris existentibus  
« narratis, omnibus utriusque Sexus ejusdem Provincia  
« in Diocesi tua existentibus, ut deinceps, exceptis om-  
« nibus diebus Dominicis, Natalis Domini Nostri Jesu  
« Christi, et sequenti Sancti Stephani, Crucifixionis,  
« Epiphaniae, Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes,  
« et sequenti itidem diebus, Corporis Christi, Sancti  
« Joannis Baptista, Sanctorum Apostolorum Petri  
« et Pauli, Sancti Jacobi, et Commemorationis om-  
« nium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae  
« Virgini Mariae immaculatae, scilicet Purificationis,  
« Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Concep-  
« tionis, necnon Sancti Patroni, aut Tutelaris aiusli-  
« bet loci pro hominibus ejusdem loci duntaxat, in  
« quibus integra maneat praecipi obligatio; in reliquis  
« diebus festis sive per hanc Sanctam Sedem praeciptis,  
« sive per Synodales ejusdem Dioecesis Constitutiones,

„ Sive quacunque alia de causa, etiam ex causa voti per  
„ majores suos facti, quod quo ad hanc partem etiam  
„ auctoritate nostrâ Apostolicâ per commutari volu-  
„ mus, præceptis, auditâ Missâ, laboriosis suarum actuum  
„ exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo  
„ proorsu conscientie scrupulo, vacare possint, auctori-  
„ tate nostrâ Apostolicâ concedas, indulgeas, et permit-  
„ tas, ac Statuas, præcipias, et mandes: Non obstantibus  
„ Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque  
„ Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel speciali-  
„ bus constitutionibus et ordinationibus, necnon Pro-  
„ vincia et Dioecesis prefatarum etiam juramento, con-  
„ firmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ  
„ roboratis Statutis, et consuetudinibus; privilegiis  
„ quoque, indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium  
„ præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis,  
„ et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum  
„ tenoribus præsentibus pro plenè et sufficienter expres-  
„ sis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis p. per-  
„ mansuris, ad præmissorum effectum, hæc vice sun-  
„ taxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque  
„ contrariis quibuscunque p. Datum Roma apud  
„ Sanctam Mariam Majorem p. 3. Septembris 1742.  
„ Anno Tertio.

Similis pro nonnullis Universitatibus, et homini-  
bus Dioecesis Campilonensis. Dat. ut supra.

Similis pro Universitatibus, et hominibus Dioe-  
cesis Baiensis. Dat. 22. Septembris 1742.



loti per  
etiam  
i vobis  
artem  
ulo  
uthon  
ermit  
tribu  
esque  
cciali  
non in  
to, con  
alia  
legis  
trarium  
rats,  
lorum  
-capit  
is, p. p.  
bur  
sque  
apud  
s 1772  
homin  
lus etc

*[Faint, illegible handwriting on lined paper]*



Faint, illegible handwritten text on a lined page, possibly bleed-through from the reverse side. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines across the page.










24









242l.

35,5 x 21,5 cm





35,5 x 21,5 cm